 315

# Andreas Cricius episcopus Premisliensis, Petro Tomicio episcopo Cracoviensi, regni Poloniae vicecancellario.

102

Reverendissime mi domine et benefactor gratiosissime. Hodie expedio nuntium domini regis Hungariae, scribo quoque et commendationes pro nostro domino Broderico. Heri venerunt literae à legato et domino barone, ut maiestas regia iniret pacem vel longiores inducias tam cum Moscho, quam etiam magistro, et ut demum cum ipso legato in Hungaria maiestas sua conveniret ad regnum illud providendum, id vero esse ex voluntate pontificis, cuius Brevis exemplum misit. Venit etiam Baliczy ex Krzepice, qui refert se illic certissime accepisse magistrum fuisse apud nostrum Laski archiepiscopum ardelionem, omnemque illam nobilitatem fremere in illum, quod cum hostibus tales conventus clandestinos agat. Mitto reverendissimae dominationi vestrae literas domini baronis, cuius gratiae me humiliter commendo. Datum Cracoviae duodecima Decembris, anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo quarto.